



50

Oprawiony w r. 1922.



De natura ac vi juris Theutonici in Polonia, usque ad Casimirum Magnum.

Konrad Oświecimski.



Pars prima.

Historiae juris Polonici adumbratio.

Pars secunda. De juris Theutonici in Polonia vi ac natura.–

§1. De discrimine quod inter leges scriptas et non scriptas intercedat.

§2. De legibus Poloniae ante Casimirum Magnum.

§3. De pristini juris Polonici indole ac natura.

§4. De urbium in Polonia origine.

§5. De juris Theutonici in Polonia origine

§6 De juris Theutonici in Polonia natura atque indole.

§7 De juris Theutonici in Polonia vi atque cum jure Polonico necessitudine.

De natura ac vi juris Theutonici in Polonia usque ad Casimirum Magnum.

Pars I.

Historica juris Polonici adumbratio.

De juris Theutonici in Polonia natura ac vi mihi scripturo pauca quaedam exponenda sunt, quibus et universi juris Poloni originem, progressumque demonstrem, et simul iis notionem juris Poloni ante oculos ponam, quibus fontes istius juris, quod plerumque lingua polonica sint conscripti, hucusque non omni ex parte erant noti. Nam quae Hartknochius,[1] Chwalkowius,[2] Zalaszovius,[3] Cromerus,[4] et qui ante hos centum fere annos viguit, Lengnichius[5] de jure Polono prodiderunt, ea aut omnino non ex omni parte absoluta, et ut ita dicam, ad umbilicum erant perducta, aut certe nostrae aetatis scopo non sufficiunt, quum viri isti et fontibus sequente demum aetate in lumen prolatis essent destituti, et usus forensis praecipue rationem habentes, historicam perquirendi methodum in discrimen non vocarent. In iis igitur acquiescere non licet: quum autem nostratium studia in jure Polonico illustrando posita maximam partem polonica lingua continentur, operam non mihi lusisse videbor, si et partem quantamcunque juris nostri illustravero,

1. De republica Polonica Libri duo edit. II Lipsiae 1698.
2. Jus publicum Poloniae 1685.
3. Jus regni Poloniae ex statutis et constitutionibus 1702.
4. Martinus Cromerus de origine et rebus gestis Polonorum. Basileae 1558.
5. Jus publicum Regni Poloni, Tom I Gedani 1742. Tom II 1746.

et simul monstravero, quinam sit studiorum juridicorum apud nostrates status.

Jam vero de juris nostri incunabulis et initio quaerentibus haec opinio a veritate non videtur discedere civitatis originem, originem simul esse juris. Quum enim Civitas ex Ciceronis sententia[6]: coetus sit multitudinis juris consensu et utilitatis communione sociatus, facile apparet, communionem hanc certis quibusdam legibus teneri, quae juris sunt fundamenta. Constat autem Polonorum civitatem sexto post Christum natum seculo, civitatis jam formam habuisse: quapropter Polonos consentaneum est jus quoddam habuisse, antequam religionem Christianam sunt amplexi. Jam vero de juris Poloni initiis quae proposui, non supervacanea videbuntur, ei, qui reputaverit, ad aetates juris nostri constituendas terminos quosdam esse figendos. Nam qui alter sit juris Polonici finis, et quibus causis sit procreatus, neminem fugit. Juris igitur Polonici his finibus inclusi historia, in quatuor aetates distribui potest. Et.

Ima quidem aetas a rei publicae Polonicae principiis, usque ad annum 965 vel ad Christianae religionis illationem, prima juris Polonici incrementa continet, quae nonnisi ex vestigiis, quae sequentium aetatum inhaerent, cognosci possunt. Sequitur.

---

6). De Republica lib I cap. 25.
Augustinus de Civ. XIX. 21.

II.ª aetas, 965–1370, inde a Christianae religionis illatione, usque ad Ludovici regis tempora, speciem praebens juris ex domesticis institutis, canonicis praeceptis et theutonicis mixti. – Quae deinde III.ª aetas, 1370–1572 secuta est, Sigismundi Augusti excessu terminata, quum reipublicae statum continet felicissimum, tum juris Polonici longe praestantissimum exhibet statum. Restat IV.ª aetas 1572–1795. pertinens usque ad Stanislai Augusti abdicationem, si progressum juris spectas, non spernenda illa quidem, collabentis imperii vestigia prae se ferens.

Quum vero juris fontes et legibus modo scriptis modo non scriptis, et praeterea, vetustissimis praecipue temporibus, singulis institutis et edictis contineantur, locos quosdam rerum scriptorum perlustrare necesse est, quo facilius demonstremus, primam juris nostri notitiam a vetustissimis temporibus esse repetendam. Et primum quidem legum non scriptarum vestigia perquirentibus non spernenda sunt ea, quae praeclarus rerum domesticarum investigator Konarski, Kadlubkonem secutus, in praefatione ad Legum Volumina posuit, quum Cracum et Ziemovitum, tum prae
2 ceteris, Mieczyslaum, Boleslaum qui Chrobry nominatur, Casimirum Justum, Henricum Probum et Vladislaum Locticum in legislatorum numero esse ponendos. Nam quamquam illa quidem non

de legibus scriptis sunt intelligenda, tamen leges, quae regibus istis tribuuntur haud parvi erant momenti ad jus Polonicum seriore tempore redigendum, ut mox apparebit. Sed et leges quasdam scriptas commemorat idem Konarski loco citato, quas Casimiri Magni legibus longe vetustiores esse contendit. Et altera quidem lex de Cantilena „Boga rodzica" est, altera ordinatio rerum Judaicarum anni 1264. Vereor tamen ne lex illa de Cantilena Boga rodzica seriori tempori sit attribuenda, quod jam olim Ephraim Oloff[7] tentaverat. Alteri autem haud facile legis nomen vindicari potest. Porro Dlugosz[8] Boleslaum Primum contendit leges salutiferas gratia humanae societatis descriptas condidisse, et edicto publico promulgasse, ut earum motu humana coerceretur audacia. Sed earum quoque legum monumentis sumus destituti, et propter temporis vetustatem, et fortasse ob hanc causam, quod seriore tempore ita legum collectioni erant insertae, ut autoris nomen reticeretur; quo factum est, ut primorum, qui illas leges tulissent, memoria sensim sensimque aboleret. Huc usque de legibus non scriptis.

Scriptarum vero legum monumenta, quae ad nostram aetatem pervenerunt, vetustissima sunt, quae ex comitiis Lanciciensibus[9] Casimiro Secundo regnante, anno 1180 emanaverunt. Quum vero comitia haec clero potissi

7/ Polnische Liedergeschichte. Danzig 1744.
8/ Johannis Dlugossi historiae pol. libb XIII Lips. 1711 sq. II p. 175.
9/ Cromer L. VI. p. 166.

potissimum cooperante habita sint, et synodi quoque nomine plerumque insignirentur, documento quidem sunt, secunda, quam statuimus juris Poloni aetate cleri auctoritate domestica instituta ad canonici et romani ex aliqua parte juris modulum fuisse conformata; quum autem plerumque ecclesiae institutiones in comitiis istis tractarentur,[10] ad juris Poloni historiam explanandam levioris sunt momenti. Longe praestantissimum antiquioris legislationis monumentum statuta sunt, quae Casimirus Magnus in Comitiis Visliciensibus anno 1347 dedit, adhibito ad eorum redactionem judicio Episcoporum, Palatinorum, Castellanorum, Officialium et Dignitatorum terrarum Poloniae omnium: continet enim cum jus civile, tum et criminale, datque normam litium in judiciis agendarum, dirimendarumque. Jam vero non plane novas Casimirum leges sanxisse, sed aut antiquiores comprobavisse et emendavisse, aut illis addidisse novas, apparet ex iis, quae legislator ipse in praefatione suarum legum declarat verbis hisce:[11] „Nos itaque Casimirus Secundus, Dei Gratia Rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Pomeraniae, Russiaeque Dominus et Haeres etc: una cum Praelatis, Baronibus, ceterisque Nobilibus et subditis nostris animadvertimus

---

10) Cromerus Lib VI p. 166. – Kadlubkonis Chron. p. 3. – Bogufal p. 80. Dlugosz l.c. I p. 542. –

11) Volumina Legum I f 2. tit. Praecepta Magni Casimiri Regis. –

et proinde revolventes, quia juxta temporum antiquitatem in terris et dominio ditioni nostrae subjectis causae plerumque in judiciis non uniformiter, sed secundum animorum et sensuum diversitatem, hominum etiam excrescente malitia et improbitate, varie et diversimode ventilantur, decidantur et definiuntur ex qua varietate actiones sive causae, nonnunquam post multiplices variationes, alterationes et contentiones remanent indecisae et quodammodo immortales; Quapropter ad laudem Dei Omnipotentis, Beatissimaeque Mariae Virginis, totiusque coelestis curiae et ad perfectum commodum et utilitatem nostrorum subditorum decrevimus: dictorum judiciorum seu causarum /: potissimum in his, quae frequenter accidunt /: decidere et evellere varietatem. Volentes et statuentes quod deinceps perpetuis temporibus haec eadem Statuta et Constitutiones habeantur, exerceantur et observentur per omnes et singulos Judices, Officiales, ac eorum Ministros reliquosque nostros subditos et terrarum nostrarum habitatores. Nec quisquam audeat quovis modo temerarie contravenire, sub gravi nostrae indignationis effectu."

Leges itaque Casimiri Magni non novae illae quidem, sed plerumque praecedentium regum auctoritate aut usu sancitae, postquam in corpus

legum erant receptae summam in Republica vim obtinuerunt, tenebantque omnes, exceptis iis, qui aut ob ordinem cui erant addicti, juri canonico, aut privilegiis muniti, juri Theutonico erant subjecti. Primum enim Cleri auctoritas, litteras tunc temporis solius foventis erat magna, et ita quidem, ut non solum in ecclesia, sed et in civitate polleret: quam ob rem optimo jure Dlugosz[12] prodit, statuta synodalia praecessisse, legumque terrestrium vice esse functa. Quum enim Pontifici Maximi per legatos in synodis leges proponere solerent, synodorum autem auctoritas non ecclesiae tantum consuluerit, sed de testamentis quoque de feneratione, de Judaeis, immo et de notariis[13] leges tulerit, juris Canonici vim fuisse in Polonia quandam et ex illa in jus terrestre quaedam manavisse, dubitari non potest.–

Jus vero Theutonicum, quam originem habuerit quamque late patuerit, in altera hujus disquisitionis parte explicabo.–

Quae tertia juris Poloni aetate exstiterunt leges, pertinebant ad nobilitatem praecipue Majoris et Minoris Poloniae, Russiae et Prussiae: non obstringebant autem Lithuanos, quippe qui in comitiis demum anni 1569 ita ceteris Poloniae terris essent juncti, ut iisdem quoque legibus uterentur. At leges istae

12) Historia pol. I, p. 560, 575.–
13. cf. J. W. Bandtkie hist. jur. pol. ed. Stężyński Varsoviae 1830. p. 427.–

nobilitatem obstringentes, quae vulgo jus Polonicum aut jus terrestre appellabantur initio perpaucae erant.[14] Sed non est cur miremur: regia enim potestate ob concessiones quibus nobilium gratia erat paranda, labente, increscente vero vi nobilium factum est, ut nobilitas privilegia potius quam leges expeteret, acciperetque. Insignia sunt de istis legibus Cromeri[15] verba haec: Extremis demum fere temporibus Sigismundi Senioris et regnante filio ejus Sigismundo Augusto magis ac magis exarsit et longius progressus est pruritus et libido novarum legum condendarum et antiquiorum mutandarum. Quo fit: ut hae propemodum exolescant, novae autem aut vix, aut ne vix quidem inolescant, sed ut aeque hae quidem novitate, illae vero vetustate sua in contemptum vulgo veniant, maxima rei publicae pernicie." Jam vero monendum est de discrimine, quod inter statuta et constitutiones intercedat: differunt autem statuta a constitutionibus et aetate et lingua, qua sunt conscripta. Quae enim statuta appellantur leges sunt, quae usque ad Sigismundi Augusti tempora sunt latae, et lingua latina conscriptae: Constitutiones vero leges sunt polonico sermone scriptae inde a Sigismundi Augusti temporibus.

---

14) Judicantur autem nobiles suis legibus, quae paucae sunt. Cromer p. 176.

15) Cromer p. 122 sq.

Innotuerunt paullatim regum virorumque doctorum opera, quae hucusque erant sancita: nam mature et statuta Casimiri Magni, et quae illis postea accesserunt, statuta Jagellonum anni 1420 et 1432 in sermonem polonicum conversa sunt a Swentoslao de Wojcieszyn anno 1449. Sub excessum autem Casimiri IV. statuta haec prodierunt Lipsiae a 1491, titulo inscripto: Syntagmata. Verum enimvero sequentium plurium editionum una tantum sancita atque approbata est, quam curaverat Regni Cancellarius Johannes de Laski: prodiit Cracoviae apud Hallerum anno 1506.[16] Sed et statuta provincialia, quae provinciarum consuetudines et institutiones continebant in lucem protrahebantur: Statutis Wislicensibus praeter Jagellonum statuta, quae supra commemoravimus, addita sunt et statuta Masoviae inde ab anno 1377 usque ad annum 1420 promulgata.[17] Porro et Lithuania proprias habuit leges.[18] Sed et Prussia, ut quae non belli casu cum Polonia esset juncta, sed libertatis, qua Polonos uti videret, appetens proprio motu ad Poloniam Casimiro Jagellonide regnante defecerit, propriis utebatur legibus, quippe quae praeter regem, cujus eligendi simul cum regni ordinibus habuit potestatem, nihil aliud cum regno haberet commune. Inveniuntur

16/. cfr. Janocki, Nachricht von denen in der hochgräflichen Załuskischen Bibliothek sich befindenden raren polnischen Büchern 1747. I p. 32. – Bentkowski hist. lit. pol. II. p. 120. – Voll. Legg. I. f. 352–355. –

17/. Cromer p. 176. – Czacki, de legibus Masoviae in Bentk. hist. lit. pol. II, 117, 118. –

18/. Czacki de legibus Lithuaniae et Poloniae I. II. – S. B. Linde de statutis Lithuaniae 1816. –

igitur ordinationes Prussiae in Voluminibus Legum,[19] apud Dogielum in Codice Diplomatico Regni Poloniae, et apud Cromerum l.c. p. 201.[20] Quae tamen omnia ad pristinum statum Prussiae sunt referenda: videmus enim Casimirum Jagellonidem anno 1457 provinciae huic jus Magdeburgense, tum Culmense haereditarium Polonicale et Pruthensium reservavisse, ea licentia attributa, ut liceat unicuique de uno jure in aliud, sine tamen praejudicio aliorum, quo voluerit transmigrare.[21] Quo factum est, ut Prussia eadem omnino et plura haberet jura, quam Polonia ipsa, non haberet eadem onera. Quum autem Sigismundus Augustus, quo arctius provinciam huic Poloniae jungeret, in comitiis Lublinensibus a 1569 eadem cum Polonia onera atque commoda Prussiae ordinibus imposuisset, aegre id ab iis latum est.[22] Spretis igitur plerumque legibus tanta erat legum varietas, ut suo quisque jure judicaretur.–

Quae quarta juris Polonici aetate leges erant latae, non populi statutis, sed nobilium libidini potius inserviebant. Eligebantur reges inde ab excessu Sigismundi Augusti et quidem a nobilibus, qui violentiam atque lasciviam libertatem esse rati, ab iis, qui eligi vellent, poscebant, ut sibi quum priora privilegia comprobarent, tum nova largirentur maximo et vi

19. Vol. Leg. I f. 229. 231. 454. 463. 541. 565; II f. 809.
20. cfr. Lengnich jus publ. I p. 20 sq.
21. Dlugosz l.c. II p. 139.–
22. Lengnich I p. 21.–

publicae et ceterorum ordini damno. Quapropter leges, quae tempore illo erant latae, ad eos tantum pertinuisse videntur, qui non erant nobiles; nam nobiles nihil nisi immunitatem et privilegia expetebant. Sed non omnino desperandum de genere humano. Exstiterunt sub imperii finem egregii viri quidam, qui non solum quae domi vitiosa, sed etiam quae apud exteros non probanda erant, postquam sub judicium vocaverunt, omine faustissimo felicitatis in posterum conditores esse videbantur. Quod vero haec omnia irrita facta sunt, non viris istis egregiis, sed temporibus crimini est dandum. Succubuit Poloni populi potestas, ipse vero eorum legibus obtemperare coactus, quorum sub ditionem ceciderat.

Quos deinde in jure Polonico elaborare non poenituit, antiquioribus temporibus animos appulerunt. Praeter viros, quos jam supra commemorare licuit egregie hac de re meriti sunt:

Wincenty Skrzetuski, Prawo polityczne narodu polskiego II tomy Warszawa 1782.

T. Ostrowski, Prawo cywilne narodu polskiego II tomy w Warszawie 1784.

J. Lelewel, Prawodawstwo początkowe polskie. Warszawa 1828.

Maciejowski, Historia prawodawstw Słowiańskich IV tomy Warszawa 1832–1835.

J. W. Bandtkie v. Stężyński. Prawo cywilne polskie, Historia prawa polskiego. Warszawa 1850.

Pars II.

De juris Teutonici in Polonia usu ac natura.

§1.

De discrimine, quod inter leges scriptas et non scriptas intercedit.

Sapientissimus de legibus scriptor ita vim legis constituit: Lex est ratio summa, insita in natura, quae jubet ea, quae facienda sunt prohibetque contraria.[1] Lex igitur in natura fundata est, et originem suamque a recta ratione derivat. Vivere secundum legem, est secundum naturam rationem, quae recte vitam et mores, domi perinde atque in publico instituere. Quare etiamsi nullae leges a magistratibus latae, exaratae, promulgataeque exstarent, ipsa natura et ratio honesta probans, inhonesta rejiciens, supremae et absolutissimae legis instar esset. Atque legis non scriptae et scriptae aliud discrimen non est, nisi quod haec illa tempore sit posterior, cum una utriusque sit regula idemque fons, scilicet natura et ratio. De lege quidem non scripta oportet intelligi illud: Legem neque hominum ingeniis excogitatam esse, neque scitum aliquod populorum, sed Aeternum Quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi, –

---

1. Cicero de legibus I.

prohibendique sapientia, quae vis senior est, quam aetas populorum et civitatum, vis enim est coelum atque terras tuentis et regentis Dei.[2] Nec si regnante Tarquinio nulla erat lex scripta de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiae intulit, erat enim ratio profecta a natura, a delicto avocans, ad recte faciendum impellens, quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed cum orta est; orta est autem e mente divina. Unde ante legislatores omnes qui leges et jura populis praescripsere, non scriptam quidem sed divinitus in natura insitam legem, quae est recti praeceptio, pravique repulsio, viguisse semper in omni natione, indubium vocari non potest.

§2. De legibus Poloniae ante Casimirum Magnum.

Juris Polonici primordia a civitatis primordiis sunt repetenda. Constat autem sexto jam seculo Polonos qui Lechitae etiam nominabantur inter Albim et Vistulam sedes ac domicilia habuisse, usosque esse moribus, consuetudinibus ac institutis propriis a patribus acceptis[1] Teste Boguphalo[2] primus illos neque reges neque principes ullos habuisse antiquitus, vixisse autem uti fratres et filios ejusdem patris, habuisse praeterea duodecim vetustissimorum electos, qui causas eorum componerent, negotiaque civitatis exsequerentur, sed neque vi-

2) Cicero de legibus II.
1) Schlözers Nestor II p. 82.[p. 124] Ossolinski geschichtliche kritische Nachrichten II p. 507. Krakau 1819.
2) Chronicon Poloniae ed. Varsav. p. 7. ed. Somersbergii II p. 10.

vectigalia, neque operas ullas pro suo commodo exige-
rent. Quapropter verisimile est, eos in republica vi-
xisse, eamque usque ad saeculum nonum tenuisse.
Verumenimvero Franconum Saxonumque potentia
illo tempore iis ad Albim imminente, quod rei-
publicae forma securitatis parum illis videba-
tur praebere, regium imperium sunt amplexi,
praestantissimum quemque regem eligentes. Et
primum quidem Lechum quendam et Cracum
iis regnavisse rerum scriptores prodiderunt. Ca-
dlubkonis verba de Craco sunt ista: „Jura insti-
tuit leges promulgat. Sic ergo nostri civilis juris
nata est conceptio seu concepta nativitas. Nam an-
te hunc servituti ancillari libertas et aequitas re-
dissequari jussa est injuriae eratque justitia quae
plurimum prodesset ei, qui plurimum posset, li-
cet autem justitiae rigor non statim coeperit im-
perare, ex tunc tamen violentiae desiit subesse
potestati. Et dicta est justitia, quae plurimum
prodest ei, qui minimum potest.“[3] Quamquam
autem fabulae istae, quod ad principum nomina eo-
rumque res gestas attinet, veritatis speciem ob
similitudinem cum rebus Romanis non praebent,
tamen inesse illis videtur quaedam antiquitatis
memoria. Sed variant virorum doctorum de Ca-

3) Kadlubek editio Dobromilska p. 33.

Cadlubkonis testimonio sententiae, quum alteri Cracum reipublicae formam tantum mutavisse censeant, alteri uti Naruszewicz[4] existiment: Craci legislationem verbalem fuisse, ea eaque manavisse consuetudines, quae sensim sensimque legum vice fungerentur. Equidem puto ceteris praetermissis hoc unum indubium vocari non posse Cadlubconis tempore extitisse memoriam quandam vetustate obrutam legum consuetudine sancitarum. Non certiora sunt quae de Lechi institutionibus, legibusque narrantur. Lechi enim ejusque successorum tempore principis voluntatem legis vicem habuisse narrat Dlugossus[5]. Et huic nomini nihil dandum, tenendumque, quod jam supra monuimus, scriptores famam legum priscarum amplificavisse nominibus mythicis. Utrum igitur Craccus, Lechusve extitisset, nec ne nostra nihil refert: extitisse vero legum priscarum memoriam, earumque vestigia recentiori legislationi inhaesisse dubitari non potest. Quum autem permulta in jure Polonico inveniantur, quae neque juris Romani similitudinem prae se ferant, neque apud confines populos inveniantur, ea e prisca illa legislatione manavisse consentaneum est.

4/ Naruszewicz VI p. 107.-
5/ Dlugosz I p. 44.-

Exorta vero huic regno circa annum 965 verae religionis luce, disciplina quoque imperii longe florentior esse coepit. Etsi earum quoque legum et institutorum memoria potius, quam notitia ad nostram aetatem pervenerit, Micislaum certe, qui quasi quidam suae patriae Numa Christianam religionem, remque ecclesiae aeternis legibus primus in Polonia communivit,[6] leges tulisse verisimile est. Qui vero Micislao in imperio per duo secula secuti sunt, leges haud dubie huic nationi accomodatas propriasque dabant. Non enim scio quemquam extitisse, neque puto extiturum esse qui contendat Boleslaum Primum qui Chrobry appellatur, urbium fundatorem, civitatisque ordinatorem leges suas ab aliis gentibus sumpsisse, quum constet eum urbes ad imperii securitatem conditas castellanorum jurisdictioni subjecisse, appellationemque tum ad principem, tum ad placita generalia, vel colloquia generalia vel terminos generales ordinavisse. Antiquissimam hanc ad principem provocationem comprobant Phi: Callimachi verba in epistola die 15 Maji 1484 scripta:[7] „Taedet hic regem esse, nam ille judicare causas debet. Amplectuntur Poloni hanc antiquam consuetudinem judicii Regalis.“

---

6. Cromer l. 3.

7. Czacki l.c. II p. 75.– ed. Edwarda Raczyńskiego. Poznań 1845.–

Attamen et hic leges scriptas non accepimus, nisi eas, quae in comitiis Lanicicensibus anno 1180 a Casimiro Secundo erant promulgatae, praesulibus, proceribusque ad earum conscriptionem arcessitis. Latas esse a tempore Boleslai Primi usque ad Casimiri Magni imperium plurimas, easque saluberrimas leges, nemo nostra sententia diffitebitur. Quod vero praeter commemoratas illas Lanicicenses nullae ad nostram aetatem pervenerunt, valde dolendum est, quamquam ad nostrum propositum leviores est momenti. Id enim agimus, ut demonstremus fuisse in Polonia leges, antequam aut juris Romani potitiam paraverunt sibi Poloni, aut jus Theutonicum cognoverunt. Fuisse vero illas jam satis superque demonstravimus: non fuisse scriptas non demonstrari potest, quum alioquin testetur, Casimirum Magnum non novas prorsus leges in comitiis Vislicensibus anno 1347 tulisse, sed adjiciendo et resecando, corrigendo et temperando innovavisse veteres leges Polonicales.[8]

Quapropter Casimiri Magni statuta Vislicensia, quum non solum novas leges, sed et veterum legum reliquias contineant, monumentum sunt antiquioris quoque legislationis.

§ 3.

De pristini juris Polonici indole ac natura.

8/ Długosz in opere Popliński Nowe pypisy Polskie Część II p. 8. – Leszno 1838.

Non erant antiquissimis temporibus in Polonia nisi duo ordines, ordo scilicet equestris et ordo rusticus, non enim erant urbes. Nam quae apud rerum scriptores in civitatis initiis jam nominantur, Gnesna, Cracovia et Cruswica ad lacum, qui Gopło nominatur, sita, a ceteris terrae locis nulla alia re erant distinctae, nisi majore ambitu, et moeniis, quapropter etiam castra aut castella :/grody/: nominabantur, et plerumque a terrae principibus tenebantur. Qui praeterea urbes istas ut hoc nomine utar, incolebant, neque origine neque jurisdictione a ceteris terrae incolis distinguebantur, nullaque prae ceteris habebant privilegia neve immunitates. Haec enim populi Poloni antiquitus erat natura, ut agriculturae esset amantissimus. Quum autem hanc ob causam terram, quam colebat, summa dilectione persequeretur, belli discrimen nunquam inire dubitabat, ut eos propelleret, qui sibi eam abripere conarentur. Itaque factum est, ut duo tantum ordines antiquitus sint constituti, ordo equestris et ordo rusticus. Quum vero legislationem iis accommodatam esse necesse sit, quorum rationem habeat, sequitur sponte legis

priscas nostras pertinuisse ad homines equestris et rustici ordinis, nihil statuisse de iis, qui urbes incolerent. Haec igitur prima est nota juris Polonici, quod earum praecipue rerum rationem habet, quae aut ad militiam aut ad agrorum culturam pertinent. Unde etiam jus Polonicum posteriore tempore jus terrestre dicitur aut jus ducale.

?– Altera vero prisci juris Polonici nota haec est, ut provocari non possit nisi ad principem ipsum, ut jam supra §2. memoravimus locoque insigni Philippi Callimachi comprobavimus.[1] Quae res non parvi est momenti. Nam si principia juris nostri a jure Romano essent deducenda, provocari non posset nisi ad juris istius peritos. Non facile autem adducar, ut credam, reges nostros illis 2– temporibus in jure Romano perdiscendo operam locavisse. Sed et a jure Theutonico reges nostras non fluxisse apparet, non enim ad regem, sed ad juris Theutonici rursus peritos esset provocandum,[2] qui Magdeburgi tunc temporis floruisse dicuntur. Quae de juris Polonici indole diximus, sufficere nobis videntur ad discrimen inter jus Polonicum et jus Theutonicum statuendum.

§ 4.

De urbium in Polonia origine.

sung Wien 1803. III p. 67, iisdem verbis hoc Czackii argumentum reddit, sed non idem est verba repetere et approbare.—

1/ Przyłuski statut. ~~p~~ 50. 675.—

2/ Bandtkie in opere: Zbiór rozpraw o przedmiotach prawa polskiego, p. 119 Not. justissime reprobat argumentum Czackii, in opere: O prawach Polskich i Litew. I p. 300 n. 177.– quasi ex senatu Magdeburgico missi Poloniam quotannis frequentassent, eadem cum potestate ut missi Dominici Caroli Magni. Fekel in opere: ~~Polen~~ Polens Staatsveraenderungen und Letzten Verfas-

Principio in Polonia neque urbes, neque urbium incolas, quos cives nominabimus, fuisse, supra §3 demonstratum est. Quae enim Boleslao primo auctore erant exstructae, a Polonis colebantur et tenebantur jure terrestri. Ineunte vero seculo duodecimo propter crebras inundationes ab anno praecipue 1129 usque ad annum 1135 multos qui in Flandria et Hollandia habitabant, principum insuper vexatione coactos emigrare coepisse, ex eoque tempore emigrandi usum terrasque feliciores quaerendi obtinuisse, res est nota. Iam vero ineunte seculo XIII^mo Polonia Tartarorum invasionibus ita erat vastata, ut reges, quo facilius regionibus devastatis auxilium ferrent, aliarum terrarum incolas privilegiis juribus, praerogativis immunitatibusque promissis arcesserent, ordinibusque arcessendi et jure Theutonico locandi facultatem darent. Et privatos quoque potestatem hanc a principibus expetivisse, non mirum est: praecipuam enim haec locatio vel translatio ex jure Polonico in jus Theutonicum utilitatem afferebat, quum isto pacto partim agros vastos colerent,[1] partim opima ex jurisdictione sua, sibi commoda pararent.[2] Itaque factum est, ut medio fere seculo decimo tertio Po-

---

1. Paprocki herby i rycerstwo polskie p. 16. Miscellanea Cracoviensia II p. 51. –

2) Vol. Leg. I f. 30 tit. de scultetitiae emtione et venditione.

? – Polonia frequentari coepisset a hominibus Germani nominis.

Non vero eadem sors erat advenarum: qui enim privatorum cura locabantur, maximam partem agrorum culturae dediti, vicos tenebant, obediebantque locatoris jurisdictioni. Qui vero a regibus ipsis erant accessiti, artificia et quaestum plerumque exercentes urbanas incolebant colonias, quae quum naturae propriam jurisdictionem a regibus essent nactae, sensim increscentes urbium in Polonia jure Theutonico locatarum originem praebuerunt. Inde in Polonia urbes non solum existere sed et florere mox coeperunt, quum unicuique licuisset in iis sedem domiciliumque collocare.[3]

§5.

De juris Theutonici in Polonia origine.

? – Quae supra §4. de privilegiis urbium incolis collocatis commemoravimus, paucis demonstranda esse videntur. Et primum quidem legimus universale Ziemoviti ducis Masoviae, cujus verba demonstrant, advenas urbiumque incolas jure Theutonico fuisse locatos: sunt autem verba haec: "Accedant itaque securi hospites de quacunque natione ad incolendas terras, scientes, quod omni servitute ab iis relegata gaudebunt pleno jure Theutonico." Porro sententia nostra comprobatur verbis privilegii

3/ Naruszewicz VI. p. 201 ad annum 1254.

Boleslai Alti, ducis Vratislaviensis de anno 1178 in tabulis fundationis domus Cisterciensium Lubensis:" Quicunque homines, cujuscunque conditionis vel gentis possessiones hujus coenobii coluerint, vel supra eas inhabitaverint, per Abbatem in eis collocati, sive Poloni sunt, sive Theutonici sive Gallici[1], cujuscunque etiam juris — ab omni jure Polonico sine exceptione aliqua et ab omnibus servitiis, solutionibusque pecuniariis exactionibus, araturis ac vectigalibus, quicunque debeantur, sive principi sive castellano vel supariis aliis, sint in perpetuum liberi et exempti, nec cogantur cuiquam alteri, nisi Abbati et suis fratribus aliquid solvere, dare, ducere, arare vel servitium aliquod facere aut exhibere. Omnes insuper homines in bonis claustri commorantes, cujuscunque sint gentis vel conditionis, tam posteri quam praesentes, nulla castra vel munitiones mihi tenebuntur, vel cuiquam successorum meorum construere, neque ad expeditiones aliquas ministrare in vecturis pecuniae, pecoribus aut annonis, sive coloni sunt, seu judices vel scholteti, sed medio tempore ad servitium abbatis et claustri stabunt, omnes in propriis expensis, quidquid ipsis praeceptum fuerit laborando. Si vero con-

1) Gallos hoc loco, non Germanos prope Rhenum habitantes esse, sed revera Gallos, qui Galliam meridionalem incolebant, contra Georg. Sam. Bandtkium (Hist. Pol ed II vol I p. 345) demonstravit Lelewel in opere Polska wieków średnich. Poznań 1846. I p. 33 et 42.—

contigerit, hostilem exercitum terram velle ingredi, tunc coloni abbatis de villis pedites, scultheti equites ad communem terrae defensionem procedere tenebuntur. Judicium nihilominus de omni causa tam capitis quam manus, totaliter abbati et monasterio do, ut ipse per judices suos tam Theutonicos quam Polonos omni querulanti justitiam faciat, in quolibet jure tam suis hominibus quam alienis, et quidquid solutionis inde evenerit, tam pro culpis quam pro poenis, hoc abbatis et fratrum judicium totum erit.– Absolvo coenobium Lubens et omnes curias, villas et possessiones ejus, quae subjiciuntur ab omni conservatione equorum, canum falconum, aucupum venatorum.– Cum jure patronatus ecclesiae fori Lubensis et omnis attinentiae ejus cum omni utilitate et plenaria libertate, in quo panum, carnium tabernas, quotquot eis utilia videbuntur, macella possunt collocare, mercandi, vendendi, secundum quod Noviforenses utuntur, omni modo frui debent libertate et idem forum Lubens jure Theutonico plenam ipsis quando voluerint, locandi praesto facultatem. Item fluvium Oderae, et termini circa Oderam cum utroque littore, et ultra transitus fluvii in nauto suo, cum silvis, pratis, agris, pascuis, aquis, piscationibus,

venationibus, castoribus et mellificiis atque molendinis, cum omni jure meo Ducali, cum omni dominio, cum omni libertate, cum omni utilitate, quae nunc est super terram in omnibus bonis et praediis claustri, et quae sub terra esse poterit in futurum, nulli de his omnibus debendo aliquam portionem etc." [2]

Jam vero quaerentes, qui factum sit, ut Poloni advenis illis hospitio exceptis tot privilegia, totque immunitates tribuerint, has causas plurimum valuisse putamus. Primum quod ecclesiasticos illos coenobiis viventes attinet, religionem multum valuisse apparet. Principes, quibus religionis propagatio erat curae, non dubitabant ejusdem religionis ministros privilegiis et immunitatibus donare, quae et ecclesiasticis ipsis, et iis, qui illis erant subditi vitam securam atque jucundam reddere possent. Accedebat, quod et locatores ipsi, sive principes, sive privati, quod ad reliquos advenas urbes vicosve habitantes attinet, tanto majores fructus sperare poterant, quanto majora illis privilegia tribuebant. Postremo jus originis illis temporibus plus valebat, quam jus domicilii: qua quis erat natione,

2) Sommersberg. Silesiacarum rerum scriptores t. p. 894 sq.

coutebatur jure.[3] Haec obtinebat tunc temporis regula, inventa, ut olim putabatur[4] in Italia, nota in Polonia. His igitur causis permoti et principes et eorum auctoritate atque permissione, privati, novis incolis et alia privilegia et, de quo nobis agendum, jus Theutonicum tribuebant. Extiterunt item in Polonia et urbes, quae privilegia exemptionemque ex jure terrestri sive Polonico percipiebantur, et cives, qui privilegiis illis atque immunitatibus fruebantur.[5]

§6.

De juris Theutonici in Polonia natura atque indole.

Jus Theutonicum sive Magdeburgense, quid qualeve fuerit illis temporibus, quibus urbes hoc jure ipso locabantur, ne illi quidem sciebant, qui locationes istas instituebant. Quum enim ipsi nullo jure nisi Polonico uterentur, nulla autem exstaret collectio juris Theutonici, quae quodammodo esset sancita, maximam partem ad exemplum alterius coloniae, ut Boleslaus ille Altus in privilegio §5 allato, jus istud tribuebant. Quin immo habemus plura exempla palam professae ignorantiae juris istius ab iis, qui jus Theutonicum tribuebant, sicut in privilegio Joannis Senioris, ducis Masoviae a. 1423 civitati Latowicz dato:

„Damus igitur et conferimus civitati Latowicz plenam

3) Conring. De origine juris Germanici c. XX. p. 86.
4) Gaupp. Die Germanischen Ansiedlungen p. 241–265.
5) Miscellanea Cracoviensia II p. 60 sq.

et commodam potestatem, prout ipsum jus originale Theutonicum Culmense in omnibus suis articulis, punctis, conditionibus et clausulis universis postulat et requirit." At existentia juris originalis Theutonici Culmensis demonstrari non potest. Manifestum est igitur juris Theutonici notitiam non habuisse fundatorem. Similiter in privilegio a. 1355 verba leguntur haec: „Et quia jura Srodensia sunt nobis prorsus incognita."[1] Asservatur in capitulo Gnesnensi privilegium scultetiae in Slavonice a. 1390. cujus verba egregie hanc sententiam comprobant, sunt vero haec: „In jus (Srodense) Theutonicum, quod Srodense dicitur,[2] – et quoniam jura Srodensia nobis sunt penitus incognita, omnia jura, quae commodum et utilitatem dominorum respiciunt, nobis et successoribus nostris reservamus."

Ex iis omnibus sponte apparet jus Theutonicum sive Magdeburgense ita diversum fuisse a jure Polonico, ut ne illis quidem esset notum, quipsum tribuebant. Continebat autem jus illud:

1. Liberationem ex parte aut totam ab usitatis officiis vectigalibus et operis.
2. exemptionem ex communi jurisdictione et ta-

1/ Naruszewicz VI p. 204. – Czacki I p. 300 n. 177. –
2/ Bandtkie (x ~~k. p. p.~~) p. 98 § 55. – Tzschoppe und Stenzel Urkundensammlung p. 108. – Lengnich II p. 524. –
x Zbiór rozpraw w przedmiocie prawa polskiego. –

talem quidem ut

a, aut coloniae fundatoris jurisdictioni

b. aut jurisdictioni ex suo numero a semet ipsis electae atque institutae obedirent coloni. –

Liberationis exemplum luculentissimum praebet privilegium illud Boleslai Alti § 5 citatum. Discrimen inde ortum est inter incolas juris Polonici, sive ducalis, sive terrestris, et incolas juris Theutonici. Longe enim meliore conditione erant, qui jure Theutonico utebantur, quam qui juri Polonico obedire debebant. Ab iis enim, qui jure Polonico tenebantur, omnia illa et vectigalia et operae et officia exigebantur, quibus Boleslaus Altus Lubensis monasterii subditos liberos esse voluit. Incolae vero juris Theutonici propriae jurisdictioni a propriis scabinis et scultetis conficiendae subditi erant, liberabantur porro omnibus fere vectigalibus ac operis, et solarium tantum pendere militiaeque munus sustinere tenebantur,[3] operam deinde servam non praestabant neque principi neque fundi domino et agrorum, quos possidebant alienandorum habebant potestatem.[4] Quod ad exemptionem a communi jurisdictione attinet, tenendum est discrimen

---

3). Vol. Leg. I f. X tit. de scultetis. Miscellan. Crac. II p. 65. –
4). Vol. Leg. I f. XXXVI. Non potest vendere, nisi hereditate vendita. –

quod inter urbanarum et terrestrium coloniarum incolas statuimus (33). Utrique jure Polonico non obstringebantur. Sed quamquam utrique jure Theutonico perfruebantur, tamen non eadem utrisque obtigit jurisdictio. Qui enim rusticas colonias incolebant, jurisdictioni obediebant locatoris ipsius aut judicis ab illo substituti. Meliore quidem erant conditione, quam qui juri Polonico obediebant, liberi enim erant operis aliisque officiis. Verumenimvero a vectigalibus, quantum ex privilegio Tynecensi a 1187 perspici potest, non plane erant liberi: qui enim in sylvis erant locati, non nisi triginta annos, qui vero super mericis et querretis duodecim, qui tandem in campis octo annos vectigalia non solvebant.[5] Immunitates igitur, quas coloniarum agrestium incolae paniscebantur, ea re potissimum continebantur, quod jus operarum officiorumque cunctorum loco, vectigalia solvere licuit. Ceterum enim coloniae agrestes nulla fere alia re, nisi nundinis a pagis distinguebantur. At longe meliores res erant eorum, qui a regibus vel principibus in coloniis urbanis locati, propriam jurisdictionem

5/ Szczygielski, Tynecia p. 164. in Bandtkie, Hist. pr. P. I p. 388.–

habebant.[6] Primum enim magistratus jurisdicendo ex suo numero eligebant, veluti advocatos, scultetos et scabinos. Postea exorta sunt munera consulum et proconsulum, senatus et magistratus. Tum jus habebant potestatemque constitutiones coloniam rite obligantes statuendi, quae plebiscita, "Willküren" wilkürze, appellabantur. Deinde potestatem habebant vectigalium ad coloniae commodum et usum constituendorum, distribuendorum et exscribendorum. Postremum fruebantur juribus commercii civici. His igitur omnibus perpensis juris Theutonici naturam hanc potissimum fuisse videmus, ut ii qui illo fruebantur, legibus certis innitentes contra magistratuum libidinem essent muniti, ex suo numero magistratus istos eligerent, iisque non nisi legum auctoritate jubentibus obedirent, officiorum denique ac jurium notitiam plenam haberent. Quantum momenti jura ista omnia ad beatam civium vitam afferrent, vel ex eo perspici potest, quod perbrevi tempore urbes jure Theutonico fruentes opulentissimae evaderent, auctoritatemque haud parvam nanciscebantur.

6, Hartknoch de Republ. Pol. p 793.

Magdeburgense jus ex eo esse dictum, quod Magdeburgum primum in Germania immunitates istas accepisset, res videtur non satis esse certa. Potior videtur eorum esse sententia, qui jus Magdeburgense nomen accepisse ab ea re putent, quod Magdeburgum responsis suis scriptorum cura pervulgatis imprimis inclaruisset famamque sibi paravisset. Re vera autem nihil aliud erat, nisi jus Saxonicum, quod singulis quibusque terris, a loco, ubi fortasse aliquantisper immutatum, primum erat receptum, nomen accipiebat. Ut exemplo rem comprobemus, postquam in Silesia civitas quae Novum Forum audiebat, prima jus illud nacta est, ceteris civitatibus, quum tribuebatur, tribuebatur secundum herkomanum, sic!, aut simpliciter jus Novi Fori appellabatur. Exemplum invenitur §3 in privilegio Boleslai Alti. Theutonicum autem appellabatur in universum, ut discerneretur a Polonico, secundum eum verbi usum, quem doctissimus Iac. Grimm inde a Romanorum temporibus obtinuisse demonstravit.[7] Jus igitur Magdeburgense, nihil aliud est, quam jus Theutonicum sive Saxonicum, sed ad eam normam, ad quam ~~Magdebur~~

7/. Deutsche Grammatik 3te Ausgabe. Götting 1840 I p. 11. 12.

Magdeburgi interpretabantur. Attamen usus hic non semper sibi constabat, quum ii, qui jure isto locationes instituebant, neque originis neque naturae ejus sibi essent conscii. Exempla afferre haec liceat: "Civitatem vero Cracoviensem, jure Saxonico, sive Magdeburgensi, quod etiam Sredense et Theutonicum vocant, stabilivit.[8]" — "Appellationumque articuli cum utriusque partis propositione et responso in Magdeburg (unde jura Sredensia seu Theutonica habuere ortum) velut ad supremum tribunal deferebantur.[9]"

§ 7.

De juris Theutonici in Polonia vi atque cum jure Polonico successit fine.—

Quamquam diffiteri [denegari] non potest, jus Theutonicum plurimum contulisse ad urbium in Polonia amplificationem atque opulentiam, tamen quod ad reliquos terrae incolas attinet, aut nullius aut parvi admodum fuisse momenti, facile consentiet, quicunque reputaverit, locationes jure Theutonico ob eam potissimum causam fieri solitas ~~esse~~, ut alterius terrae homines eo facilius ad domicilium in Polonia collocandum permoverentur. Qui igitur locationes istas instituebant, non juris Polonici mutationem in animo habebant, sed pro

8/ Cromer lib IX p. 232.—
9/ Długosz I 1104. 1105.—

proprium lucrum. Quapropter privilegia et institutiones coloniarum non erant jus transferentes, verum autem jus imitantes. Unde etiam nonnunquam factum est, ut non solum multas mutationes subirent, sed etiam oblivione obruerentur. Et mutationum ansam praebebat ipse locandi modus. In omnibus enim locationum documentis, quae nobis nancisci licuit, jus Theutonicum non secundum certam accurateque descriptam legem conferebatur, sed plerumque ad exemplum alterius civitatis, jus istud possidentis.[1] Quum autem locatores ipsi, ut supra jam demonstravimus, notitiam istius juris non haberent: fiebat interdum, ut eos quos locabant, leges ad alterius oppidi exemplum sibi ferre juberent, permissionemque istam expresse edicerent. Quae res quamquam juri excolendo, expoliendoque favisse videtur, tamen ex altera parte, quum immunitates atque libertates certis verbis atque formulis non essent descriptae, potestas autem locatoris atque jurisdictionis non esset definita, fieri quoque potuit, ut immunitates istae a locatore coercerentur, atque ad libidinem denegarentur. Accidisse vero hoc nonnunquam vel ex eo colligi

1.) Gaupp. deutsche Stadtrechte des Mittelalters. I. p. IX–XXX. Breslau 1851.–

potest, quod usus juris istius interdum ita coerceretur, ut jus ipsum penitus in oblivionem abiret.[1] Ex iis omnibus sponte apparet, jus Theutonicum in Polonia eos tantum tenuisse, quibus erat datum[2]: omne nimirum jus pro privilegio datum, principaliter tenet eum, cui erat datum. Abolitionis exemplum exstat in edicto Casimiri Magni, cujus verba, quum rem optime illustrent, hic describere liceat. Sunt vero haec: Cum secundum Patrum Sanctorum decreta lex decernat, illos amittere privilegii authoritatem, qui concessa sibi non utuntur potestate, plures sunt nostri milites, jus Theutonicum habentes in multis ipsorum villis ex nostra aut nostrorum praedecessorum gratia iis facta, et tamen jure Theutonico omisso secundum jus Polonicum se regunt in quibusdam, statuimus quod si in aliqua villa abusi sunt jure Theutonico, amplius contra agentes per jus Theutonicum non poterint se defensare: quapropter volumus quodsi crimen est commissum illo jure, quo villa eadem usa fuerit, tenebitur judicare simul, et terminare.[3]" – Non tenuisse vero nobiles patet ex statutis Sigismundi Primi. Ibi enim legimus:" Statuimus et ordinamus: Quod dum aliquis nobilis

---

1. a./ Vol. Leg. I. f. XXIII. Tit. De illis qui habentes jus Theut: utuntur Polo:
2/ Przesinski. Process cywilny Krakowski p. 51.
3/ Vol. Leg. I f. XXIII. tit. De illis q. h. j. Th. utuntur j. P.

in civitate nostra, vel oppido nostro aut aliquorum Spi-
ritualium et Secularium subditorum Regni Nostri
pro crimine violentiae, per officium civile captus fu-
erit: ex tunc talis nobilis pro violentia captus, deti-
neri debet in praetorio civitatis vel oppidi, ubi
capietur, quo facto officium civitatis vel oppidi illius
ubi talis violator captus fuerit, nullum penitus judi-
cium faciet, neque aliquam poenam exiget de eodem
nobili, nisi prius ad eorum requisitionem Capitaneus, vel
Vicecapitaneus castrensis illius jurisdictionis nostrae
regalis, sub quo civitas talis vel oppidum situm fue-
rit, praesens interfuerit eidem civili judicio; quod mi-
nistrari et fieri debet, pro violentia contra no-
bilem dictum etc."[4]

Quae hucusque de juris Theutonici in Polonia na-
tura protulimus, ita erant comparata, ut ex iis
colligi possit, jus Theutonicum non nisi exceptio-
ne quadam conferri solitum esse, atque eos tan-
tum tenuisse, quibus erat datum. Quum vero ex-
istant quidam, qui Polonos tum demum jus ha-
buisse existiment, quum jus Theutonicum cogno-
vissent, haud abs re nos facturos esse putamus,
si demonstrabimus, jus Theutonicum non solum

4. Vol. Leg. I f. 396. tit. De captivatione Nobilium. —

cum jure Polonico nihil commune habuisse, sed ei insuper obstitisse et fuisse adversum. Jam vero ii, contra quos nobis hic est agendum, eo potissimum innituntur argumento, Poloniam Germano imperio quondam subjectam, immo vero et tributariam jus et leges a Germanis accepisse, quod et ex multis exemplis usitati juris Theutonici, et ex illa provocatione ad Magdeburgum apparere existimant. Nobis vero aliud videtur. Nam, ut de illa tributaria conditione taceamus[1], causas Germanos recipiendi, jusque illis permittendi, satis luculenter demonstravisse nobis videmur. Quod autem ad appellationem illam attinet, nobis quidem ex re ipsa sequi videtur, ut provocare advenis jus proprium habentibus liceat, ad eos, qui juris istius sint peritissimi. Juris vero Theutonici peritiam in Polonia non fuisse, supra demonstravimus. Non enim erat necesse. Ceterum Magdeburgum potius quam alia loca adiisse, qui appellare vellent, res erat fortuita; locus enim appellationis nemini erat praescriptus. Quamobrem fama quam sibi editis juris Magdeburgum paraverat, huic appellationi favisse videtur. Quamquam fortasse et ea res momenti aliquid

---

1. Johannes Schultz: de Polonia nunquam tributaria. Gedani 1694. — Tepper: Poloniam imperio Romano-Germanico nunquam subjectam. Argentorati 1788.

Naruszewicz II p. 17. 153. —

habuit ad jus Theutonicum tolerandum, appellationemque ad Magdeburgum eligendam, quod Polonica ecclesia primis post Christianae religionis receptionem temporibus, capitulo Metropolitanae Magdeburgensi erat subjecta.

Demonstravimus ut nobis videtur jus Polonicum ex jure Theutonico non fluxisse. Restat ut demonstremus ex illo non fluere quidem potuisse. Non vero potuit, erat enim jus Theutonicum juri Polonico adversum. Et primum quidem jus Polonicum, in Polonia ortum penes regem ab initio, postea vero penes regem et proceres erat: tenebat ordines omnes, belli negotia et agrorum culturam praecipue spectabat: provocatio non nisi ad regem ipsum permittebatur. Jus vero Theutonicum, adventitium, pertinens ad eos tantum, quibus regum procerumve gratia erat collatum, urbium institutiones, artificia et quaestum imprimis spectabat, et exercebatur a magistratibus ad exterorum similitudinem creatis: provocatio usque ad Casimiri Magni tempora ad exteros juris peritos permittebatur.[6] Haec juris utriusque diversitas causa fuit, ut alterum alteri nonnunquam objiceret,

6) Casimirus [hanc provocationem ad Magdeburgense tribunal sustulit, et in arce Cracoviensi supremum et provincionale judicium Theutonicum constituit, ad quod provocationes omnes ab inferioribus judicibus ex tota Polonia fierent. – Cromer lib XII p 319. – [Magnus a. 1347. –

atque cum eo collideret: quod fieri nullo modo potuit, si jus Polonicum ad juris Theutonici normam fuisset conformatum. Quapropter juris Polonici perfectionem atque absolutionem non acceleratam sed potius retardatam esse juris externi usu, verisimile est.

Collisisse jura vero utraque inter se exemplis comprobari potest. Et primum quidem affert Paprocki in opere, quod inscribitur: Herby Rycerstwa Polskiego. Ibi legimus verba haec: „Si quis hominum propter aliquod commissum in villam praedictam aufugerit, sine cujusvis impedimento, duabus septimanis tranquillitate pacis Dni. Ducis Cracov. et nostra (Palatini Sandom.) perfruetur. Actum Cracoviae publice a. 1319.

Quibus vero Polonici juris cura erat commissa, ex altera parte juris Theutonici vim comprimere conabantur. Providerat huic rei jam Boleslaus Pudicus in privilegio urbi Cracoviae a. 1257 dato, ubi verba leguntur haec: Hoc etiam nobis idem advocati promiserunt, quod nullum adscriptitium nostrum vel ecclesiae seu cujuscunque alterius, vel etiam Polonum liberum, qui in jure hactenus habitavit, faciant suum concivem, ne hac occasione, nostra, vel episcopalia aut canonicorum, vel aliorum praedia

ruralia desolentur.[7] Porro sententia nostra comprobatur verbis edicti Casimiri Magni: „Ex lege imperiali clara luce nobis constat; quod incendiarii et exustores domorum horreorum aut quorumvis bonorum, voluntarii morte crudeli et turpissima puniantur, quibus etiam inventis, si ad Ecclesiam effugiant, patrocinium ex hoc nullum debeant obtinere, propter criminis damnati saevitiem, consueverunt enim hactenus hujus modi malefactores et manus judicum justitiam exequi volentium effugiant, et plurimum in Civitatibus vel villis Theutonicalibus permanere, et actionem contra illos propositam eludant, per juris Theutonici defensionem, et sic saepius talium malefactorum crimina remanent impunita, unde de nostrorum Baronum et Procerum consilio, statuimus, quod accusati de crimine incendii sive exustionis etiam inventi in Civitatibus aut villis Theutonicalibus, castrorum ipsorum trahantur, et in jure Polonico coram judice competenti tenebuntur respondere ac sententiari seu puniri poena digna, juxta commissi criminis demeritum.[8] –

7/ Miscellanea Cracov. II p. 65.–
8/ Vol. Leg. I f XXIII. tit. de incendiariis, et exustoribus.–

Quae cum ita sint, sponte apparet, jus Theutonicum quod ad causas capitales attinet, juri Polonico fuisse postpositum. Sed et in jure civili jus Theutonicum a jure Polonico diversum fuisse videmus. Jus Theutonicum exempli gratia, non permittit legitimationem prolis per subsequens matrimonium. Poloni vero Pontificis Maximi Alexandri III hac de re sententia[9] comprobata libenter Alexandri regis edictum a 1505 receperunt. Legimus in condemnatione hujus regis haec: „Quatuor decimi articuli erronei juris Saxonici seu Theutonici et Magdeburgensis per sedem Apostolicam condemnati, tanquam juri naturali et Divino contrarii, quos etiam nos Alexander rex Apostolico decreto inhaerentes reprobamus, condemnamus, nulliusque roboris et momenti decernimus perpetuo, ac per quoslibet judices et subditos nostros, ubilibet in dominiis nostris consistentes districtius sub poenis nostris eosdem inhibemus teneri." etc. etc. Decimus Articulus: quod quicunque cognoverit aliquam feminam si postea ducat eam in matrimonium, nunquam ex ea poterit prolem legitimam generare[10]."

9/ C. 6. X. qui filii sint legitimi IV. 17.

10/ Vol. Leg. I f. C.C.C. XXXX. tit. quatuordecim articuli.


Jam vero satis demonstravisse nobis videmur, juris Polonici originem atque naturam aliam fu-isse atque juris Theutonici, ut sperare nobis liceat, neminem in posterum existimaturum, jus Polonicum e jure Theutonico fluxisse, sive postpositum fuisse. Haec enim existimatio mi-rum quantum juris Polonici cognitionem ad nos-tra usque tempora impedivit.[11]

Vita.

Natus sum Johannes Conradus ab Ossowie-cimski a. d. VIII Cal. Julias 1827. in oppido Kem-pen, patre Augusto praedii domino et matre Guil-elma, e gente Braun oriunda. Primis elementis domestica institutione imbutus sum. Puer decem annorum gymnasium Mariae Magdalenae Pos-naniense, quod directore Stoc floruit, frequentare coe-pi. Sed ut germanae linguae scientiam paullo subtiliorem mihi compararem, post tres annos et semestre mutavi hoc gymnasium cum gym-nasio Olsnensi in Silesia. Sex annis praeteritis contigit ut anno MDCCCXLIX. examen pro ma-

11. Wiśniowski Historia literatury polskiej II p. 316.–

maturitatis subirem et feliciter superarem. Jam Bonnam me contuli ut juris prudentiae operam navarem, ibique civibus academicis Loebello Illustr. Rectore adscriptus sum. Scholas celeberrimas frequentavi VV. Ill. Blume, Böcking, Walter, Haelschner, Eulenberg, Mornard et Kaufmann. Non possum, quin ingenue fatear, me jam tum temporis omni virium contentione studuisse, ut ad summos in utroque jure honores consequendos aspirare possem. Tribus semestribus absolutis in Silesiam redux, in alma Viadrina studia, quae feliciter coeperam, strenue et alacriter persequi in animum induxi. Rectore Magnifico V.D. Barkow fasces academicos tenente inter cives academicos receptus, institutione humanissima VV. DD. Abegg. Gaupp. Sitzler, Wilda et Branis gavisus sum. Quibus praeceptoribus meis celeberrimis, humanissimis gratias ago, quam maximas. Profiteor me non solum semper gratum animum esse habiturum, sed etiam nunquam obliturum, quid me ad usum, vitamque necessariam docuerint. — Fac ut Deus O.M. ut me eundem veritatis et justitiae fidum habeant quem discipulum.



Kritische Beleuchtung.

von Oswiecimski, de natura ac vi juris Teutonici in Polonia.

Ich spreche vor allem hier meine Ansicht über die beifolgende Dissertation dahin aus, daß dieselbe im Allgemeinen als zu ihrem Zwecke brauchbar zu betrachten sein dürfte, jedenfalls aber noch einer sehr bedeutenden Umarbeitung bedürfen wird. Um nun dem Verfasser einen bestimmten Anhalt dabei zu gewähren, wäre wohl zu wünschen, daß die nachfolgende Kritik demselben mitgetheilt, die Vota der geehrten Herren Collegen aber auf einem besondern Blatte beigefügt würden.

I. Stil und Sprache. Die Zahl der grammatikalischen Fehler ist nicht gering. Viele darunter habe ich angestrichen. Ich habe hervorzuheben: häufige Verstöße gegen die consecutio temporum — falsche Genera wie litium dirimendorum — falsch geschriebene Worte, wie apellare, immitantes — transferrentes — unrichtige Constructionen, wie sequi mit dem Dativ — Activum statt des Passivum, wie exemplum sibi ferre jussit — Gebrauch der verba depon. als passiva, wie diffiteri non poterat, es kann nicht geleugnet werden, palam professa ignorantia u.s.w. Zu streichen ist auch durchgängig das h in dem Wort Teutonicus, polnisches Recht aber constant mit jus Polonicum, und nicht bald jus Polonicum, bald wieder jus Polonum zu übersetzen.

II. Äußere Anordnung. Der Verf. will in seiner Pars prima eine Uebersicht der Geschichte des polnischen Rechts liefern, die Pars secunda soll aber dann de juris Teutonici in Polonia vi ac natura handeln. Die innere Ordnung der Gegenstände ist aber hier in der Darstellung nicht festgehalten worden, denn die §§. 1. 2. 3. der Pars secunda gehören in die P. prima hinein, indem sie es, abgesehen von §. 1. der P. secundae welcher ganz fehlen könnte, mit der inneren Beschaffenheit des polnischen Rechts zu thun haben, von der Einführung und der Natur des deutschen Rechts in Polen aber gar nichts enthalten. Die Hauptsache ist immer das innere Gesetz der Behandlung, welches in der Sache selbst liegt, und am zweckmäßigsten dürfte hier folgende Gliederung gewesen sein:

a) Kurze Uebersicht der äußeren Rechtsgeschichte Polens.
b) Charakteristik des ältesten polnischen Rechts selbst.
c) Bruch der alt polnischen Verfassung wie des Rechts durch den Einfluß germanisch-abendländischer Elemente, namentlich des jus Teutonicum, seit dem 12. und noch mehr 13. Jahrhundert.

III. <u>Inhalt.</u> Zu dieser Schrift bemerke ich Folgendes:

a) An verschiedenen Stellen ~~[illegible]~~ der Abhandlung kehrt eine unrichtige Voraussetzung über die Entstehung des positiven Rechts immer wieder: dass dasselbe nämlich seinen Ursprung lediglich in den von oben her gegebenen Gesetzen gehabt habe. Man sieht sich hier ganz in die Theorie der juristischen Compendien des vorigen Jahrhunderts versetzt und die allein richtige Ansicht, wonach das Recht eben so gut ein wesentlicher Bestandtheil einer jeden besondern Nationalität ist, wie die Sprache und die Sitte, scheint dem Verfasser gar nicht zum klaren Bewusstsein gekommen zu sein. Nur hieraus erklärt es sich auch, wie derselbe am Ende seiner Schrift eine Polemik gegen die ganz verkehrte Meinung, die Polen seien zum Besitze eines positiven Rechts überhaupt erst durch die ins Land hereingekommenen deutschen Colonisten gelangt, noch für nöthig halten konnte.

b. Was den eigentlich <u>historischen Theil</u> anbetrifft, so lässt sich freilich nicht verschweigen, dass der Verf. ohne bedeutende Überschreitung des Raumes einer Dissertation weit bestimmtere und intensiv gewichtigere Resultate hätte liefern können. Leider hat derselbe grade die umfassendsten und reichhaltigsten Hülfsmittel für seine Arbeit, <u>Stenzels Urkundensammlung und Röpells Polnische Geschichte</u>, so gut wie unbenutzt gelassen, und doch darf man ohne die geringste Ungerechtigkeit gegen die polnischen Rechtshistoriker zu begehen, unbedingt die Behauptung aufstellen, dass der Verf. in keinem einzigen von diesen letzteren grade über den von ihm gewählten Gegenstand einen solchen Halt und Stützpunkt finden konnte, wie ihn die genannten deutschen Werke gewährt haben würden.

1. Derselbe unterscheidet gleich auf dem ersten Bogen 4 Perioden der Polnischen Rechtsgeschichte. Der Satz auf pag. 2: Constat Polonorum <u>civitatem</u> sexto post Christum natum saeculo <u>civitatis</u> jam formam habuisse, kann schon aus sprachlichen Gründen nicht so stehen bleiben, aber die Behauptung ist auch materiell durchaus nicht richtig. Keineswegs ist es eine bekannte Sache, dass es schon im 6. Jahrhundert einen geordneten Polnischen Staat gegeben habe. Im Gegentheile steht es vollkommen fest, dass bis ins 9. ja bis ins 10.

Jahrhundert an einer eigentlichen Geschichte des polnischen Volkes noch gar nicht die Rede sein kann, alle Nachrichten vielmehr den Charakter des Sagenhaften an sich tragen. Erst mit Miesko, Mieczslaw (964) tritt die Sage in die Geschichte ein, und daher hätte der Verf. sicher besser gethan, die fabelhaften Könige Lech, Cracus u.s.w. nicht in die Reihe der Gesetzgeber mit aufzuführen.

2. Es liegt ein innerer Widerspruch darin, wenn der Verf. der dritten Periode, welche er von 1370 – 1572 datirt, den status praestantissimus reipublicae et juris Polonici vindicirt, und weiter hinten auf Bogen 2, unter ausdrücklicher Berufung auf eine Stelle bei Cromer, ausführt, daß in dieser dritten Periode die Übermacht des zu Gewaltthaten geneigten Adels schon mehr und mehr gewachsen sei, und daß dieser Adel mehr Verlangen nach Privilegien als nach Gesetzen gehabt habe.

3. Die Schilderung der innern polnischen Zustände vor dem Einkommen des deutschen Rechts in §. 3 der Pars secunda (Bogen 5) hätte doch wohl etwas genauer ausfallen sollen. Was der Verf. ordo equestris nennt, ist die Szlachta, und man kann die gewählte lateinische Bezeichnung insofern gelten lassen, als die Hauptstärke der polnischen Heere schon damals in der Reiterei bestand. Die Bauern sind die sogenannten Kmeten (Kmiecie), und dazu kamen noch Leibeigene. Vergl. Röpell 151. Will man aber nun eine Vorstellung gewinnen von dem Einfluß, welchen das deutsche Recht auf die Zustände des Landes ausübte, so muß man vor allen Dingen die unsere zahlreichen Frohnen und Abgaben berücksichtigen, mit denen namentlich der Bauernstand beschwert war, und von denen aber die deutschen Colonisten befreit sein sollten. Ueber poroz, prevod, slad, przesieka, stroza, podworowe u.s.w. enthält Stenzel a. a. O. S. 10., großentheils gestützt auf Linde's polnisches Wörterbuch, die ausführlichsten Zusammenstellungen, und wenigstens eine bestimmte Hinweisung darauf mit kurzer Charakteristik der zahlreichen auf dem Grundbesitz haftenden und zu Gunsten der Fürsten gereichenden Lasten wäre hier sehr am Orte gewesen.

4. Wenn aber dann zu der Einführung des deutschen

Rechts in Polen übergegangen wird, so sollte der Verf. gleich an die Spitze bestimmter hervorheben mögen, dass einerseits viele Städte, andererseits aber auch eine grosse Menge von Dörfern mit jus Teutonicum beliehen worden sind.
Röpell 577.

5. Ganz hinfällig ist das Argument, welches aus Bogen 6 aus der angeblichen Urkunde des Herzogs von Breslau, Boleslaus altus von 1178 entnommen wird. Der Verf. legt auf diese Urkunde ein sehr grosses Gewicht, und theilt einen zwei Seiten füllenden Auszug aus derselben mit. Aber diese angebliche Stiftungsurkunde des Klosters Leubus ist falsch und untergeschoben wie von Worbs ausser allen Zweifel gesetzt worden ist.

Vgl. Liter. Beilage zu den Schlesischen Prov. blättern v. 1822 St. 10.

Stenzel's Urkunden~~buch~~sammlung pag. 96 Note 1.

6. Mit Unrecht identificirt der Verf. an mehreren Stellen die Begriffe jus Teutonicum und j. Magdeburgense, und zwar ist dagegen besonders Folgendes zu sagen:

a. Nach einer ganzen Menge urkundlicher Zeugnisse wurde bei der Verleihung des jus Teutonicum den neuen Ansiedlern oder denen, welche das Recht übertragen erhielten, selbst erst wieder eine locatio nach jus Teut. vorzunehmen, völlige Freiheit gelassen, was für ein deutsches Recht sie wählen wollten.

In der Urk. von 1254 für das Bisthum Plock wird verliehen „jus Teutonicum cujuscunque provinciae vel civitatis, prout ipsimet elegerint." Bandtkie, Jus Culmense p. 327 sq.

In der Urk. für das Kloster Bleshen von 1259 heisst es: „Contulimus — in praedicta hereditate villas locare Teutonicas, quocunque jure ipsi fratres fuerint decreti." Ledebur, N. Archiv 3. p. 304.

Diese Zeugnisse würden sich leicht noch vermehren lassen.


6. Die verschiedenen Formen des wirklich vorkommenden jus Teutonicum sind allerdings zum bei weitem größten Theile auf seine gemeinsame Quelle, nämlich das Magdeburgische Recht zurückzuführen; aber auch im Kreise dieses letzteren hatten sich wieder Verschiedenheiten im Einzelnen ausgebildet, und zwar werden gerade in Polen wiederholt drei solche Formen neben einander unterschieden:


das Magdeburgische Recht schlechthin, welches in Kujawien und Großpolen vorherrschte;

das Neumarktische Recht, welches neben dem Magdeburgischen schlechthin, in Kleinpolen sehr verbreitet war. Dieses jus Novoforense stammt zunächst aus Halle, wo aber freilich im Wesentlichen dasselbe Recht, wie in Magdeburg galt; in Polen aber kommt es häufig als jus Srodense oder Sredense vor, weil Neumarkt im Polnischen Sroda, Szroda genannt wurde.

das Kulmische Recht, was in Masowien vorwaltete. (Röpell 578). Was der Verf. auf Bogen 7 mit den Worten sagen will: „At existentia juris originalis Teutonici Culmensis demonstrari non potest," ist mir nicht ganz klar geworden. Sollten die Worte so viel heißen daß es an einer Urkunde über das älteste Kulmische Recht gänzlich fehle, so würde dieß bekanntlich ein großer Irrthum sein; will der Verf. aber nur sagen, daß sich die Existenz einer solchen Urkunde des Kulmischen Rechts in der Stadt Latowicz nicht nachweisen lasse, so würde sich der von demselben daraus gezogene Schluß: daß der Verleiher jenes Rechts wenigstens von dem Deutschen Rechte gar keine Kenntniß gehabt habe, aus jenem Umstande gewiß nicht rechtfertigen lassen.

Gaupp. 9/3. 52.




II